

sem ex Elegia quæ nunc incerto auctore legitur de morte Augusti.) à Propertio lib. 1. ad Gallam, purpurea papauer, cum Catullus in Epithalamio Iuliæ & Mallii dicat luteum papauer, sed purpureum auctore Porphyryone & Acrone apud Poetas accipitur pro pulchro, idest vt interpretor, cui inest naturalis pulchritudo & syncerus color.

E Q V I B V S P L A G I S P V R P V R E A S A N I E S. Conchyliorum idest purpurarum cruore, nigrantis rosæ colore sublucente vtuntur partim tingentiũ officinæ, partim pictores colore excellentissimo & suauissimo. Quomodo ad lanas apparari debeat, docent Plin. lib. 9. cap. 38. & Iulius Pollux cap. 4. lib. 1. Pictores autem ipso purpureo vtuntur cruore trito in mortario sicuti indicat Vitruuius, aut creta argentaria in eum liquorem feruenti abeno addita, & inebriata (bibit enim eum colorem celerius lanis) purpurissimum vocat Plin. lib. 35. cap. 6. Argentaria autem creta, nitorem argenteũ reddit eodem auctore lib. 35. cap. 17. Meminit & lib. 17. cap. 8.

Q V O D E X C O N C H A R V M M A R I N A R V M T E S T I S E X I M I T V R, I D E O O S T R V M E S T V O C I T A T V M. Nõ igitur ab Ostreis piscibus quod existimauit Christophorus Landinus, vir alioqui doctus, sed ἐστὶ τῆς ὀστρεῶν, idest testa, quod ex conchyliis siue purpuris legatur, tectis testa piscibus. Quauquam purpuram ostreorum quandam esse speciem annotatum est. Nam ὀστρεῶν genus esse ad omnia testacea, ὀστρεῶν αὖτὴ sine diphthongo speciem ex Aristotele admonuit Galeus lib. simplicium medicamentorum. II.